FRANCISCI SCANTII

ORATIO IN FVNERE ROBERti Card. Nobilioris Aurelio Abbati eiuſdem fratri dicata.



Cum Reſurgente Chriſto & nos reſurgemus

R O M AE Apud Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem, Anno Domini 1566.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCISCI SCANTII ORATIO IN FVnere Roberti Card. Nobilioris Aurelio Abbati eiuſdem fratri dicata.

EPISTOLA
S. P. D.

AEQVVM tandem viſum mihi fuit, vt quod diu in tenebris puluerulentum ex cauſa delituerat; tandem honeſta temporum nacta occaſione emergat, in lucemq; prodeat; ſic quod proſtratum iacuit, & tacuit, quandoq; loquatur: quod ſiluit, proſiliat ad tẽpus non inglorium opus, & in laudabilem aliquem irrumpat ſermonem, qui non mediocre teſtimoniũ faciat hominibus, quantũ nobiliſſimæ familiæ tuæ, quantum præclariſſimis virtutibus, ſummæ probitati, præſtantiſſimiſq; honoribus Roberti Cardinalis fratris iamdudum merito tribuerim, quem multis ex cauſis vnice amabam, ſimul & venerabar. ideo probabile duxi te hodie hac mea Oratione ſalutare: & vt veteris inſtituti nihil te prorſus lateat, ſcire debes hoc vnum pręſertim, quod accepto immaturo Roberti Cardinalis fratris permoleſto nimis obitu, acerboq; nuntio delato, vt crebriori fama per Ciuitatẽ vniuerſam circũferebatur ſubtriſtis ille rumor communi omnium bonorum mœrore declaratus: me accerſiuit ad ſe ille, ille dico vnus, cuius magno iuſſui illico nõ parere nefas ferè duxerã, impo

ſuitq; onus graue nimis, ac impar humeris meis, vt nobiliſſimi Cardinalis pias exequias proſequi, decorareq; vellem. Et ne iubentis nomen ignores, me ipſum declarabo: Sfortia is fuit Guido Aſcanius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Camerarius bo. me. ſtatim habito iuſſu, accepto repoſito domum me contuli, ad calamum imparatum, improuiſum, ac chartam inuitam, fere nolentem, reluctante genio, repugnante Minerua, lugubri meditatione confugi: abſoluiq; luctuoſam laudationem vna nocte, adhibita integra ſequenti die: & hoc pro veritate citra vanitatem dictum ſit: quibus horis atrato cubili me ſucceſſiue incluſum, & luctuoſum ſic continui inuitus, nolens, repugnans hanc ſcribendi occaſionē ſumpſeram: verum pœnitentiæ non amplius fuit locus: iam conditio iuſſu excepta, iam acceptum mandatum, iam fides data, promiſſaq; pręſtanda erant: res integra non amplius extabat: pedem referre, conſilium mutare, pœnitere, reuocare dicta, animum conuertere, manum de tabula deponere non licebat vlterius. Et quod prius erat voluntatis, cœpit poſtea eſſe neceſſitatis, vt natura mandati patitur. Dolebam quidem intra me; quia nec meditari aliquid boni, nec ſcribere, nec cogitare poſſe ab initio videbar: inuitus calamus, tarda manus, debilitata memoria, hebes ingenium doloris mei dabant clariſſima argumenta: huius rei inſolitæ nouitas, maximum dictanti mihi & ſtuporem, & timorem meticuloſo viro pollicebatur. Totius euentus negotii, ſicque abſolutę, & expeditę rei tardi exitus, inuitiq; te

 ſtis

ſtis eſt fidelis ſocius meus vrbaniſſimus tunc tempo
ris Carolus Archintus, qui integra nocte gratisſimũ,
& obſequentiſſimum Scribę officium, auxiliando
promptiſſimus de more ſuo præſtitit: nec ab opera,
officio, & munere veri amici in minimo vnquam de
fecit, defuit, diſceſſit ue, quod paucis hac noſtra inſe
liciſſima temporum conditione dari ſolitum eſt. Ha
ctenus habuiſti Aureli optime relatum fideliſſi
me quomodo ſeſe habuerit negotium: cui iniunctũ,
qualiter ſuſceptum, quibus pręſentibus, & intuen
tibus abſolutum fuerit. Guidoni Aſcanio Sfortiæ
Cardinali ſummæ authoritatis viro de iure ſuo mi
hi pręcipienti tanquam principaliori cauſæ illico
conſcriptam detuli laudationem, perc urri, legi, põ
deraui, deſideratam apud eum dimiſi. eadem nunc
denuo, maximo interuallo temporis interiecto, prõ
pta ad te redit reuerſa oratio ſuis veſtibus induta, ſuo
colore proprio delineata, ſuis formata lineis. Hanc
æqui, boniq; conſule: nõ temporis curſu in aliquo
immutata eſt; illam ſincero, & propenſo animo ſu
ſcipe, quo propinatᷣ. Hic mores, inſtituta, præclariſ
ſimaſq; virtutes, animiq; dotes in maximo fratre po
ſitas legere, meditari, conſiderare, eiuſq; memoriã
ſuſcitare recenti lectione facile poteris: in eo non ſe
cus ac in prudentiſſimo Socratis ſpeculo, virtutes
magni fratris tibi imitandas propones: in te vno
perinde ac in altero ipſo reluceſcentes fulgebunt,
corruſcabunt, ſplendeſcent, ac radios rutilantes da
bũt. His delectaberis, & oblectaberis: ſimul conui
uium iſtud, & ſi meridianum, non tamen ideo vt mi
nus

ſius gratum diſplicere debet. Nam quemadmodũ ſera gratulatio reprehendi non ſolet; ita etiam tarda cõſolatio minime recuſanda, vel obiurgãda venit, ſi opportune detur; ſi congrue, & apte adhibeatur. Solent periti medici, qui plurimum inarte excellũt, etiam poſt recuperatam in homine ſanitatem leues quaſdam valenti corpori adhibere potiones: idq; prudenter efficiunt, vt ſanitas diutius conſeruetur: morbi præteriti remanentibus reliquiis, deſiderata procuretur, & propinetur ſalus: ſicq; remanentes adhuc in ſtomacho debilitato morboſi quidã ſtipites, & ceſpites auxiliantis naturæ matris gratioſo impetu expellantur, extirpentur, eradicentur penitus. Iſtis ſic adductis conſiderabis Aureli, quod etiam cum dolore veteri, qui durus, & peracerbus eſſe ſolet, ſi recenti memoria renouetur, adhibeo ego ſimul Phramacum, ſaluberrimumq; antidotum, in temporis longinquitate poſitum, ſitum, & collocatum: quæ talis naturæ, conditionis, & qualitatis eſſe ſolet, vt increduſcentes dolores, ſeuientes morbi, exaſperatę, ac vlceratæ plagæ, ex ea potiſſimum minuantur, molliunturq;. Hoc expectare temporis cõmune remedium turpe eſt grauiſſimo ſapientiſſimoq; viro: quinimo huic rei ſapientia ſua occurrere debet, atq; tenetur. Gaudeo in hoc, meãq; conditionem laudo, quæ potior alijs conſolatoribus exiſtit. nam cõſolator acceſſi ad eum, qui iam duplici remedio conſolationis confirmatus eſt longiſſimi temporis, prudentiſſimiq; animi vtroq; pignore: ſicq; tam prudentia, quam dierum medicina animum ſuum

muniuit,

muniuit. Breui itaq; negotio, paruo labore, tenui verborum apparatu, nullo fuco, nullo colore agendum duxi: ſed pro veritate tãtum inſtandum erit. Agitur de re, quæ differri quidẽ poteſt, auferri nullo modo. prorogatur: nõ illi derogatur: trahitur mora, non tollitur. Vixerunt antiqui longo tempore: non tamen æterna, quamuis diuturna extitit ipſorum vita: quorum aliquos breuiſſime cõmemorare libet, & licet. Vixit Hiſmael annis 137. Abrahã 175. Nachor 148. Sarug 230. Reũ 139. Phaleg 239. Eber 464. Sale 433. Arphaſad 438. Sem 600. Noe 980. Lamech 777. Matuſalem 958. Enoch 365 Iaret 962. Malalchel 895. Caynam 910. Enos 905. Seth 912. Ij tandem diſtulere, non abſtulere maximum mortis imperiũ; quæ nec turribus terretur, nec armis læditur, minus minis exanimatur animoſa: quam nec improba ferra feriunt; nec iugula iugulant: Iſta non bello debellatur: ſolummodo recta vita, bona fama, glorioſiſſimis geſtis vincit, proſternitur, ſuperatur. Omnia quæ hic ſcripta ſunt lege diligenter Aureli: pondera diligentiſſime. Pro viribus enitar, conabor, quantũ in me erit, eam adhibere diligentiã, ſtudium, ſolertiſſimamq; curam, vt expurgata vna, emundata, ac diligentiſſime emendata ab omni errore, vitioq; impreſſoris prodeat præſens oratio. Scio, valde tamen doleo incuriam impreſſoris in publicatis adhuc non paruis orationibus maximam fuiſſe, quæ paſſa eſt multis mendis meum expurgatum in ſui lectione deformari partum: quę, res omnino a vitio, & culpa mea abeſt. Fuit in cauſa

quod

quod aliqui fideliſſimo viſus teſtimonio comproba re poterunt. Detinuit me per multos dies moleſta nimis oculorū lippitudo; quæ adeo grauis viſa fuit, vt omnes ſtudiorum, & cogitationum mearum vi res, rationeſq; facile interuerterit: quo tempore ſcri pta mea publicabantur, tunc eo magis inualeſcebat morbus; qui me tam acriter occupatum torquebat, vt recognoſcendi commentaria nulla penitus dare rur facultas. Hæc eadem cauſa quandoq; mihi ora turo impedimentum attulit: effecitq;, vt ab iniun cto munere publico inuitus ceſſarē. Hæc ſit vniuer ſalis excuſatio veriſſima, quæ me apud graues viros optime poterit expurgare. tunc temporis amicorū penuria mihi fuit; quibus tuto iſta commitere, con crederecue poſſem. in neceſſitatibus plurimum, quo tempore egemus, deſerunt nos amici noſtri; quini mo etiam hoc idem faciunt temere impij, & falſi fra tres; qui ſupplātare, impoſturas facere cum fraude nitūt: nō tñ talis eſt erratorū natura vt doctū lecto rē morenť. Hactenus fuit impedimentū: ſic placuit Domino meo: bona, & mala eodem animo a Deo pro uenientia ſuſtinere alacres debemus: hoc ſigillo mu nire debet pius vir, fidelis, Deo dilectus animum ſu um, internos mētis, & cordis affectus. Ego pariter ſic præſentem epiſtolam rite terminabo, ac in optimū finem deſinere credam, ſi munitiſſimo ſigillo appē ſo, ſic corroborata prodibit. Interim bene vale. Deus optimus te fælicitet.

FRANCISCI SCANTII I.C. MEDIOL.

Oratio in funere Rob. Nobil. Card. Ampliſſ. Iulij iij Pont. Max. nepotis.

Liceret mihi P. A, liceret vtiq; hodierno die in tam funeſta, lugubri, & ſqualida oratione, lachrymis meis continuo gemitu, luctu peramaro, fletu non mediocri, triſtiſſimoq; proſtratæ mentis dolore quo conficior, angor, torqueor, ſęuo huic nimis immaturo, acerboq; naturæ vulneri ex aliqua parte mederi. Sed heus me miſerum, triſtem, atq; infælicẽ, qui aliena cum indigeam conſolationis medicina, remedio, antidoto, ſaluberrimoq; Oxipharmaco, alios conſolaturus, improuidus, imparatus, ex tempore, hic in tam frequenti grauiſsimorum hominũ corona, acceſſi in hoc luctuoſo ſubſellio, ſub triſti ſuggeſtu ad dicendum funeſtiſſimo, ad agendum luctuoſiſſimo, ad orandum ſatis periculoſo: vbi atrata omnia vndequaque aſpicio, pullata video, luctuoſa meo malo peracerbo intueor: lugubria, ac ſqualida licet contemplari, admirari. Hæc omnia quæ hactenus diximus acerbiorem, & magis luctuoſam redderent pręſentem cauſam, ſi eſſet oratio penes infideles, impios ve habenda: qui ritu nefandiſſimo gentilium, & eorum qui ideo cõtriſtantur de dormientibus, quia ſpem reſurrectionis non habẽt, ſicq; exordiri poſſem. Verũ enimuero decet pium virum omnia de manu domini ſuſcipere; ad eius ſanctiſſimum nutum cum gratiarum actione cũcta redigẽdo, referre: ſic que ad diuinum conſilium ſe, ſua

que apte accõmodare debet. Valeat omnis dolor: recedat immoderatus luctus: ad periculoſam prouinciam accedamus, quã timuerunt doctiſſimi viri. Nõ ab re itaq; legimus hanc orandi profeſſionem alias doctiſſimos, & ſapientisſimos viros prudenter ſubterfugiſſe: ideo metu occupante iure impedior. Non mirum, Patres purpurati, non nouum iſtud, auditores, eſſe debet, ſi vna cum pia ſacroſancta Eccleſia, quæ amiſſum dilectiſſimum filium Robertum Nobiliorem Cardinalẽ mutato habitu, variato pallio deplorat, amiſſo tã firmo oſtij ſui cardine incõcuſſo. vna dico cum atrato ſarcophago, cum luctuoſo cenotaphio, pariterq; amplisſima domo, honeſtiſſimis parentibus, nobiliſſima familia, præſens etiam dies nunc luget imbribus madentibus, non ſecus ac cadẽtibus lachrymis, ſuæ amaritudinis euidens omnibus dare videtur clarisſimum argumentum, quod aliquo Dei moderatoris optimi maximo argumẽto & volũtate factũ eſſe credimus, vt & religio, & pietas tanti viri nos iudicare monet, adducit, impellit. Plangunt omnes planctu magno, & dolẽt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti atq; vnigeniti: vnigeniti, inquam, quia omnis ſpes fiducia, & laudabile deſiderium piorum parentum in ipſo filio pręcipue repoſita, ſituata, & collocata erat: primogeniti, dixi, quia maximi honoris, & ingentis glorię, laudabilis primitiæ in ſpe iſtius Illuſtriſſimi adoleſcentis nobilisſimi ſuas defixerant ſolidas radices: ſicq; ſitæ, fixæ, & radicatæ iure merito reputabantur frugiferę quãtum in homine licet

coniicere

conijcere. Hic inſpiciebantur Patris, & Patrui Iulii optimi expreſſa ora, effigies, prudentia, mores, ſummaq; ſapientia: hic relucebant vetera inſtituta, & antiquiſſimi mores priſcę & vetuſtæ nobilisſimę familię. Quibus rationibus (prò dolor) efficitur, vt p̄ vulneris amaritudine irrũpat, ſicq; clamitet ſenex vltimo fere ſenio confectus, mœſtisſimus pater Vincentius, qui ſeipſum vincere exoptat non ſecus ac alias regius propheta in obitu pulcherrimi filii Abſalon: fili mi, fili mi Abſalon. Quis ergo dabit oculis meis tantum defaticatis, vt te deplorem, abũdantiſſimum lachrymarũ fontem? Verum enim vero in funeſta pręſenti die torquetur admodũ (vt video, vt cognoſco, vt ſentio, menteq; intrinſecus reuoluo) angitur, ad mortem vſq; conficitur, cruciatur, demum diſtorquetur. Sic afflictus ac dolore amaro perculſus dulciſſimus pater ſenex, in hęc verba irrumpit: Hic erat filius mihi perdilectus, in cuius moribus, ſapiẽtia, & religione ſemper applauſi: cuius integerrimis honoribus, incorrupta vitę diſciplina, nec non & ſanctisſima profesſione oblectatus, delectatusq; ſemper fui. hic erant omnes paternę delitię meę ſitæ: hic confectę vitę vnicum potisſimum refugium: hic ſpes, reſiduumq; ſolatium dierũ meorum adhuc ſuperſtitum: a quo tanq̄ a recto filo omnis depẽdebat potiſſimũ fiducię ſpes laudabilis, honeſtum deſiderium, ac expectatio mea exoptata, ſenectutis maximum ſolatium: ex cuius probabili vita tantas, et tam maximas dum viueret capiebam voluptates, iocunditates, animi maximas oblectatio

nes, eo nunc extincto tantos percipere luctus ſonora cithara mea in luctum conuerſa, fracta lyra, ſciſſis cordis, variata temporum vice, tam ingentes ſuſtineo ac percipio luctus, ſentio præcoces dolores, ſic exacerbantes, exaſperantes, vlcerantes, ſæuiſſimeq; vulnerantes internum hominẽ in amariſſimo luctu & fletu ſic conſtitutum. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Venit enim properata malis inopina ſenectus, Et dolor ætatem iuſſit ineſſe ſuam. Intempeſtiui funduntur vertice cani: Et tremit effæto corpore laxa cutis. Mors hominum fælix, quæ ſe nec dulcibus annis Inſerit, & mœſtis ſæpe vocata venit. Sed heu heu quam ſurda miſeros auertitur aure: Et flentes oculos claudere dura negat. Quis ergo dabit regimen ſanitatis? quis propinabit medicinã graui, & periclitãti infirmitati meæ? Quis ſuppeditabit quietem, honeſtiſſimum ocium defatigatis oſſibus meis? Articulatæ, ingraueſcẽtis ſenectutis dolores abſq; remedio, abſq; ſpe aliqua ſolatij, eo magis in dies incrudeſcunt, inualeſcunt, acriter ſæuiunt, vltimum demum ſic minitantur diem. Nunc ſicut paſſer ſolitudinis in tecto degam: nunc poculum meum cum amaro fletu miſcebo: nunc cinerẽ tanquam panem manducabo in futurum: nunc in amaritudinibus moratur oculus meus. ecce in puluere libenter dormiam: & ſi mane me quæſierit dolor internus, non ſubſiſtam. Viderunt alias oculi Symeonis ſumma cum lætitia ſalutare ſuum; viderunt hodie oculi Vincentij ingenti cũ mœrore ac luctu horrendum funeſtũ ſatis, ac tremendum diem. Tandẽ

dies

dies mei breues tranſibunt: fere omnes cogitatio≈ nes diſſipatæ ſunt, torquentes afflictum cor mum. Tædet itaq; animā præſentis vitæ in pauco reliquo remanentis. Vbi ſpes magna? vbi delitiæ ingentes? lux clara? lampades ſplendeſcentes in tenebris ca≈ ligantium oculorum meorum? prorſus exitincta ſunt omnia. Nam(vt ingenue fatear) tędet, piget, pœnitet, dolet, præſentis quantum patitur humanę fragilitatis humana vita. Quomodo anima mea ſine te fili dulciſſime? loquar in amaritudine: dicā Deo optimo maximo: hei mihi quia incolatus meus pro rogatus, dilatus eſt, ſpiritus ſemimortuus, attenuabi tur mens. Dies mei abbreuiabũtur: & ſolum pro ſo lamine tantillo tenue ſupereſt ſepulchrum, quo te≈ gantur, abſcondantur, ſepeliātur afflictiones meę. Hæc omnia ponunt animam meam in dolorē, acer≈ biuſq; reddunt vulnus exceptum, religio, pietas, sā ctitas, prudentia, clementia, continentia, integritas tua: quibus omnibus nauem tuam vix in procello ſo mari ſolutam, in prima nauigatione expoſitam, qua ſolum vela dare, oram, ſoluere licuerat, ſatis fœ licem nauigationem futuram, ad glorioſum portũ prouēturam, omnes conijciebant homines. Verum quia fides noſtra, religio, & pietas in deum non pati tur, nec ſuſtinet nos contriſtari de dormientibus ſi≈ cut & cæteri qui ſpem non hebent; ideo ad antido tum propinat & properat præſens pia oratio: quam uis, vt video, reſonet ab alia parte in feſſis iam au≈ ribus funeſta fratrum deſolatorũ vna vox intra do≈ meſticos parietes, in cubilibus atratis audita, plora

tus

tus & vlulatus multus: non ſecus ac diuus Satyrus à fratre ſuo magno Ambroſio lachrymis quæſitus fuit fraternis. Bos, inquit, bouē mugitu ſuo requirit: ego autem, dulciſſime frater, quó te inueniam? vbi nobiliſſimam faciem tuam & re & nomine? vbi veneranda oris lineamenta? vbi corporis decoram maieſtatem? quæ externum hominem reddunt gratioſum, amabilem, gratum omnibus? vbi excellentes, præſtantiſſimasq; animi dotes contemplari deinceps licebit proſtratas, iacentes? intueor Cōuerto me, ſermonemq; dirigo aliunde. Quid de afflicta viragine huius honeſtiſſima matre dicam? quę vt altera prudens, gemebunda tamen Rachel, tanti filij decorem, formam, & maieſtatem deplorans, noluit amplius conſolari, quia non ſunt, imo extincta iacēt. quippe quæ nobiliſſimum animi, & corporis dotibus inſignitum filium reſurgētem, floſculum pullulantē, reſurgentem, primo tempore aduenientis Veris nuper exciſū amiſi, inuitus perdidi: quo tēpore florecebat eo a terra diuulſus eſt, fera morte eū deuorāte, diſtrahēte, ſæuiſſimeq; occidēte. Adeſte vnanimes oēs, adeſte, quæſo, animis & corporibus æquiſſimis, abſtergite a virilibus oculis effeminatas lachrymas, quę mollis, & delicati ſexus propriæ sūt partes: cōtinete luctū, comprimite gemitum, colligite animum, reſipiſcite omnes vires fere amiſſas, labanteſq; ſenſus viriliter recuperate. Tuq; ſapientiſſime pater Vincenti, meminiſſe velis te hominem eſſe. Nunc te alloquor: te præcipue interpello, importune, opportune; attende tibi: intra in domum tuā

domum

domum, inquam, ſoliti conſilij, iudicij, & rationis: perſcrutare penetralia domus, ſecretam cellam: re uolue diligenter interna eius arcana; & videbis a te ipſo quid afferat, quidue patiatur humanę fragilitatis conditio, ac vitæ noſtræ breuis curſus, conditionis vna fragilitas, q̃ modo ſomniũ, modo ſomnus, quandoq; vigilia, breue feſtum, euaneſens bulla, luctus continuus, nonnumq; apparens fumus a ſapiẽtiſſimis philoſophis appellatur: vt modo adeſſe, modo abeſſe eodem inſtanti ſæpiſſime videatur. Conſoletur vos omnes diuinus iuſſus, auditores præſtantiſſimi: ſolatium pręſtet ſacroſanctę volũtatis firma deliberatio. Vigilandum eſt itaq;, elucubrandum, ac ſolerti ſtudio pernoctandũ, qua hora dominus domus venturus ſit, vel media nocte, gallicantu, vel ſummo mane. Noſtrum minime eſt præſcire: et qua hora non putamus, tunc filius hominis repente veniet. Accedamus ergo alacres fidei præfulgẽtes lampades, infundamus oleum charitatis, luminaria in ſignũ futuræ reſurrectionis erecta exhibeamus; vt vna cum prudentiſſimis, ac pudentiſſimis virginibus aduenienti ſponſo alacres libentiq; animo obuiam prodeamus, occurramus, aduentum pręueniamus ſuum, & ad feliciſsimas nuptias lęti, fauſti, hilares tãdem perueniamus. Diuinus iuſſus, ſancta Domini voluntas pręſtet omnibus ſolamen. Sic ęterno Patri placuit, ſic dies pręfiniuit, ſic terminos vitæ cõſtituit, apud quẽ menſium numerus reconditus eſt: cuius ſanctę voluntati reſiſtere, cui reluctari, a qua diſcrepare, nec minimum quidem vnguem diſcede

re

re, & impium, & ſacrilegum cōmuni iudicio reputa tur. Præſtet nobis medicina patiētiſſimi Iob ſanctū exemplum hinc inde afflicti, anguſtiis ab omni par te perculſi, tribulationibus anguſtiſſime confecti. Do minum tamē dediſſe omnia pariter, & abſtuliſſe pie fatebatur. Sicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Non ſecus ac precio ſum aurum, puriſſimumq; argentum in ardentiſſima fabrorum probatur fornace, ſic virtus hominis in in firmitate, in anguſtia, in tribulatione ꝑ ficitur, con firmatur. conſolidatur. Demum moneat nos pro phetica vox. Ad dominum (inquit) cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Comprobantur hæc om nia diuino veritatis teſtimonio, dicente: Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam illum, & glorificabo illum, longitudine dierum adimplebo illum: & (quod plus eſt) oſtēdam illi ſalutare meum. Nō par cit virgæ: quia qui parcit virgę odit filium. Virga tua, & baculus tuus (inquit Sanctiſſ.) me cōſolata ſunt. nō .n. relinquit Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorū; vt non extendant iuſti ad iniquitatē manus ſuas. Verum benedictus Deus admirabilis, potens, glorioſus, qui nō patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus: ſed dat in tētatione ꝓuētū. ſic quia acceptus erat ſanctiſſimus vir, neceſſe fuit vt tētatio tentaret illum, tentatio inquam mortis, interitus, & vltimi diei. Sed quid tantum hic immoror? cur tam longa ſerie digredior? Neceſſe eſt, vt vnde exorſus fui, inde deſinat oratio mea. Nonne communis eſt iſta calamitas? dolor omnes pariter tāgens & angēs

hoc

hoc letale vulnus? cui nemo nec potentia ſua, nec vi, nec auctoritate reſiſtere poteſt. Hæc eſt Principũ, Regum, ſummorumq; Imperatorum vna conditio cõmunis, vt qua hora, quo temporis momento ex hoc humano terreno carcere vocat nos Dominus, ſtatim dicto facto, citius rupto carnis luteo ergaſtulo, fracto humanę conditionis pondere, exeundum ſit. Hac namq; conditione & lege nati ſumus, a parentibus educati, a Deo maximo producti: in hac valle lachrymarum, atq; miſeriarum cõſtituti, dimiſſi; vt vna die excepto iuſſu aliò migrandum ſit, alia petenda tellus, aliud calcandum ſolum. Noli prudens pater, noli (quęſo) venerande ſenex, imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere ſe medicinæ ſcientiam, ipſi autem ſe curare non poſſunt. Solent non ſolum ſapientes & ſani, ſed et aliqui imprudentes, impudentes, inſipidi, & inſani, cum valent recta conſilia ægrotis dare. Verum enimuero (vt ingenue fatear) hoc opus, hic labor, duras animi vincere paſſiones: prudentiaq;, & ratione animi ſuperare dolores. Intuere, & vtere nomine tuo Vincenti: hic vince te ipſum ratione: ſic quod in aliis longinquitas temporis poteſt, id vna in vobis ratio, id prudentia, conſilium, & ſancta religio poſſint, queant, efficiant demum. Raptus eſt nobiliſſimus iuuenis Cardinalis hoc adueniente primo Vere, ne forte malitia mutaret intellectum illius. Vix inchoâte acerbo immaturæ iuuentæ floſculo, incorrupto, impolluto: ne ſi forſitan ad maturitatem annorum perueniſſet, fructus excellentia, pulchritudi

C neq;

neq; ſua per uim, per extorſionem, per rapinam vio lenter a nocturnis furibus, a prędonibus occupare tur depredata arbor: ſicq; dolos, acuta tela, inſidias velociſſimas volantis ſagittæ euadere minime po tuiſſet. Si vlterius excreuiſſet pullulatum ſemẽ, ſi ſur rexiſſet, ſi germen emiſiſſet maturum; verendũ tũc forſitan fuiſſet, ne a volantibus cœli volucribus de popularetur, raperetur: ſicq; deſtrueretur a ſuper ueniẽtibus falſis volatilibus. O iudicia Dei quã pro funda, abyſſus multa. & quis ſcrutabitur myſteria voluntatis ſuæ ſanctiſſimæ reconditæ nimis? Præciſa eſt velut à texente vita, filus nobilisſimus adole ſcentis nobilioris; dum adhuc ordiretur tela, ſubciſa eſt a cæleſti fabricatore. Quis non videt ſagacem a gricolam? qui timẽs rariſſimi, precioſiſſimiq; pendẽ tis fructus ſuauitatem aduenientibus imbribus, in gruentibus procellis, fluctibuſq;, contrariis vẽtis per cutientibus, ac verberantibus diris tempeſtatibus, poſſe ex iniuria temporum offendi, corrumpi; ne ex ramo viridi dependens marceſcat, corrumpatur, putreſcat dulciſſimus fructus, eum ex ramo ſic pen dentem ante exceptam maturitatem auellit, adimit, decerpit: ſatius fore credens agricola, ſi immaturũ, acerbumq; prẹſenti diligentia reſeruarit, q̃ ſi poſtea corruptum, deuaſtatum, deformatum reponere vo luerit. Obtulit nobiliſſimus adoleſcens formoſiſſi mum pulcherrimæ iuuentutis floſculum Deo viuẽ ti, reſpirantem, fragrantem ſuauisſimos odores. Sic fragrantiſſ. odor ſuauitatem redolet, aromatizanſq; odorem dedit puriſſima eius (vt pie credimus) ante

ſupremi

ſupremi Iudicis tribunal præſentata. Sic acceptum fuit Deo optimo munus, ſic gratū apprime cum primitias diligat. Satis dicerem plura; niſi dolore preſſus, gemitu confectus mihi ipſi ſilentium imponere coactus eſſē. Dum hæc repeto, fletū cōtinere, interna ſuſpiria reprimere, meq; a lachrymis retinere minime poſſum. Nō enim (fateor) in vnius tam nobiliſſimi, tamq; diuini purpurati adoleſcentis amiſſione, parua & ſuis, & alienigenis exorta eſt iactura, dispendium: quinimo ingens damnū. Amiſiſtis eū parentes, qui pro ætatis conditione nullius pietatis, nullius sāctimoniæ, nullius erat virtutis expers. Sed o fallaces mundi blanditias: o inanes noſtros, falſoſq; cogitatus: o vana, & ambitioſa hominum deſideria: quibus eo magis decipimur, quo certiore ſpe quadam nobis applaudunt: eo libentius deſerimur; quo viuere eſt dulcisſimum. Licet mihi in pręſentia antiquum illud vſurpare: Quo te inueniam? quis te Roberte ab oculis eripuit nobis, quo tēpore iocundę vitę ſcintillam, ne dicam ſpem ampliſſ. ſtatus pollicebatur nomini tuo? & ſi pagano Platoni credimus, grauis eſt illa adiudicanda amiſſio; ex qua aut res nobilis, aut magna, aut vero vtilis deperdit. Verum (prô dolor) quid nobis dicendum erit, qui in ſola amiſſione nobiliſſimi purpuratii Patris, triplicem hanc humanā iacturam cōcurrere proprijs cernimus oculis? Cur tam audacter gloriaris, tā perfrictā frōte iactas ſæuisſima mors? pesſima fera, bellua inhumana, votis hominum huius ſæculi prorſus contraria, de triplici præda, de tāta extorta venatio

ne, quam potius deprædata, quam nacta fuiſti? cur exuuias reportas triplicatas? cur ouans, & geſtiens ad nos redis? letale vulnus emiſiſti, ſaucium vibraſti telum; humanitatem prorſus exuta, ciuilitatem, ac vrbanitatem oblita. Quippe nobiliſsimum Patrẽ re, & effectu nobilem, totius ampliſsimæ familiæ ſuę decorem, & ornamentum, Romanę curiæ ſplendorẽ obtenebraſſe, obſcuraſſe, extinxiſſe, de medio ſu ſtuliſſe inepte credis: magnum occidiſſe adoleſcentem fatue arbitraris: cum maxima ſpes, parentum fiducia ſuorum in illo non ſecus ac in firmiſsimo cardine, in tutiſsimo, & inconcuſſo baſe repoſita, collocataq; reluceſceret: a quo maxima quæcumq; ſperabantur: cuius ſummæ expectationi hominum vota acquieſcebant, concedebant, pro honeſtate cædebant. Sile perfida, anxia, & inhumana beſtia, monſtruoſum, ac portẽtoſum animal, opinaris fatue, & inſulſo duceris iudicio quatenus opimã prædam ex occiſo nobiliſſimo corpore inſulſe, & inſipide credis reportaſſe: vtpote q; ab ipſo tãq̃ a rectiſſimo filo aulicorum, exterorumq; omnium dependeret utilitas, meritorumq; remuneratio. quo colliſo, & dilapſo quæcunq; vtilitas, commodum, ſpes, & lucrum nobiliſsimæ tantæ clientelæ, tam illuſtriſsimæ domus, iam pariter extincta euanuerint. Verũ o mors, ubi eſt victoria tua? ubi eſt ſtimulus tuus? ubi pinguis, opima, & fertilis de qua tantum gloriaris præda? ubinam uenatio vberrima? neſcis, ignoras hactenus fatua, & imprudens, facti inſciens illud, quod ſacræ atteſtãt literæ. fidelibus vita mutatur, nõ tollitur

litur

litur; vt pia recitat eccleſia: ex quo domicilium fu-
turę, & perpetuæ beatitudinis acquiritur. Permuta-
ſti igitur o mors, non ſubſtuliſti, commutaſti virũ,
non occidiſti. In melius, in feliciorem ſtatum migra
uit nobilisſimus adoleſcens Robertus Cardinalis de
Nobilibus ad ſuperos lætus, & lubens peruenit ab-
ſoluta peregrinatione, relicto carnis huius pergraui
pondere, dimisſis hic terrenis exuuijs. Abſorta eſt
itaq; o mors victoria tua, extincta falſa æmulatio,
malitia fallax, proſtratæ demum, & eneruatæ omnes
vires. & ſi iuxta Iuriſconſulti mentem, ſcientiãq; om
nia ſoluat improba mors, nihil adeo durum quod
ab illa non rumpatur tandem, omniaq; diſſoluat vi
riliter fœmina ipſa: hæc tamen ad ſolum corpus, ad
terrena tantum referuntur, relationẽ habent, omiſ
ſis illis quæ intrinſeca ſunt hominis. Parcat mihi Iu
riſconſultus, parcant & cæteri huiuſce notæ, ſi for-
ſan cõtrarium falſo crediderint, fuerint ſequuti. Sic
cine egiſti? ſic operata es? quid nam aliud ſupereſt
egregium facinus? quod reſtat glorioſum, laudabi
le factum? quodnã reliquũ honoris argumentũ?
Suſtuliſti illuſtrisſimum iuuenem, ſuſtuliſti, rapui-
ſti acerbum, occidiſti immaturum, Patrẽ purpuratũ.
Verebaris forſitã, & recte verebaris ſi ad maturitatẽ
annorum perueniſſet ſpectatiſſimus ille iuuenis, ſi
perfectos habuiſſet annos, te vna neglecta ſe ipſũ
immortalitati condonaſſet perpetuo nomini conſe

poſtulabat: ſic patiebatur candidiſſimi animi ingenuæ dotes: ſic optimę indolis expectatio admirabilis conijciebat: omnes compellebat: ſic pietatis, religionis ratio inſtruebat. Hoc pacto talis euaſiſſet immunis, ſubterfugiſſetq́; manus ſauciæ falcis: ſicq́; intactus haud dubio præſeruatus foret: & ſi ſolã vmbram, ſolum corticem, carnis fucum, ſpeciẽ extrinſecã, decorẽ in eo dumtaxat læſeris, offenderis. Lude nunc alios, lude perfidos, impios, & ignaros, inſulſos: iocare cum inſipidis, atq́; ocioſis Epicureis: qui vna cum corporibus, animi quoq́; pulchritudinem venuſtisſimum decorem extingui, interire, dilabi, fatue credunt. tibi ipſi fallaciſſima mulierum impoſuiſti, tibi ſupplantaſti. viuit, conuolauit, iocundus & hilaris: lætus ſupereſt: ad æternum Patrem migrauit volens, non dolens. Mirum eſt, auditu fere incredibile, ac obſtupeſcẽdũ, quod oratione mea pro vltima manu ſubnectendum iudico: nõ Iuniore ſed ſeniore digna exiſtunt, quæ tam longa patientia, tãta animi tolerantia, tanta firmitate, & fortitudine ſuſtinuit adoleſcens noſter nobilisſimus in ægritudine ſemeſtri: qua continua tabe, languore, cruciatu, doloribus lectulo detinebatur: nec potuit vlla vnquam ratione, nec occaſione a diuina voluntate remoueri, diuelli. Ille idem erat in vtraq́; rerum viciſſitudine: & quemadmodum in proſpera nunquam efferebatur, ſic in aduerſa nunquam rumpebatur nec deſperatione ducebatur: ridens non dolens in tanto tædio languoris acerbiſſimi mæſtiſſimos aſtantes ſæpius hortabatur: parentes animabat pios: ad tolerantiam

rantiam, & patientiam benigniſſime inuitabat. qui
confirmatur in Domino ſicut mons inconcuſſus, &
excelſus non cõmouebitur in ęternũ,non dimouebi
tur,non titubabit,ab omni latere tutiſſimis mõtium
cacuminibus tegetur,protegetur, circundabitur, ſę-
pe munitiſſima ſepietur: muro firmiſſimo diuini au
xilij defendetur.hincinde potẽtiſſima manu corro-
borabitur.Dominus illi in circuitu aſſiſtet:non turba
bitur in malo:non terrebitur in periculo,non concu
cietur in aduerſis:non proſternetur in aſperis: non
efferet̃ in proſperis:minus frãgetur indifficillimis:
nõ deſperabit in arduis:non ſperabit in vanis: in le
uibus non delectabitur: non oblectabitur in falſis:
nec maximo dolore cruciabitur:nec longa ægritudi
ne vexabitur: non infirmitatibus moleſtis torquebi
tur:nec languore impeditus detinebitur: quinimo
nec terrentibus tormentis affligetur: nec illinienti-
bus medicamentis conſternetur:non fallaci experiẽ
tia, longa ve medicorum arte debilitabitur: non au
dacis medentis ſolidam manum reformidabit :de
mum in aliquo non abhorrebit curãtium varias,du
raſq; difficultates.& hæc omnia ideo,quia in homi-
ne non cõfidet:cũ maledictus ſit ille, qui ponit ſpẽ
vanam carnem brachij ſui. In filiis hominum nulla
eſt ſalus,nec pax,nulla quies,nullum honeſtum gau
dium, nulla certę rei ſpes probabilis. Iactat probus
vir Deo dilectus cogitatum ſuum in Domino:ad illũ

cit quod bo num, fauſtum, fælixq; ſit. ſicque in illo tanquã in ſuauiſſimo nido conquieſcit: ibi fouebitur, morabitur, fouente calore reſtaurabitur, paſcetur, cibabitur, abundantiſſime nutrietur. Non mirũ ſi ita confirmatus P. A. noſter athleta ſic lugentiũ corda ſanctisſimis exem plis, diuinis verbis hortabatur, animabat: deſolatos, atque titubãtes animos au daci, intrepido conſilio, & ſi corpore infirmus mente tamen firmiſſima loquebatur: ſicq; omnib'us ſtuporem, & admirationem ingentem concitarat. Hæc omnia innocentis, incorruptæ vitæ, rectæ conſciẽtiæ, integræ fidei, tutiſſimo teſtimonio comprobante, rectiſſime perſuadebat. vt quem viuens Redemptorẽ noſtrum ſemper & dilexit, & ex corde puro amauit, eundem moriens, nũquam, nec vltimo ſpiritu, nec quidem extremis, ac externis doloribus fuerit tantillum oblitus. O quam precioſa in cõſpectu Domini mors ſeruorum, & dilectorum eius, quam ſuauis, quã dulcis. Quod ab alijs, ponderoſa peccatorum ſarcina prægrauante, conſcientiæ pondere accuſante, ſæpius reformidari abhorreri ſolitum eſt, id ab ipſo nobilisſimo Patre purpurato ſumma cum animi lætitia, ac iocunditate ſuſceptum eſt, diſpoſitis nobilisſimis moribus. Demus hæc omnia innocentiæ Roberti Cardinalis Nobilis: cõcedamus religioni, pietati, continentię: quibus virtutibus pollebat, florebat, coruſcabat, vt ſidus ſplendidiſſime rutilabat: aureum illud in ore, & opere ſemper habebat, quo præcipimur vt ſint lumbi noſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus noſtris, ſit caſtitas

ſtitas in corpore, ſit bonorum operum fructus in manibus: ſicq; operemur, ſeriò negotiemur in talento a Deo nobis conceſſo. Caſtitas, puritas, morũ ſynceritas, fidei integritas colligitur ex habitu inferiori candido, ſimplici, vt colore, ſic etiam opere: quò rei cõſequens ſit ornamentum. Nam charitas æſtuans, ferueſcens demonſtratur, declaratur, deſcribitur in rubeo pileo, in galero purpureo, quod ſolenniter gerunt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. Demum rerum mundanarum contemptus, ſpretus optime innuit in habitu humi traiecto. His inuitabatur, alliciebatur, atq; trahebatur purpuratus noſter ad cæleſtia contemplanda, amanda, amplexanda, imitanda, iuxta regulam iuriſconſulti, qua habetur, quod talis quis eſſe preſumitur, qualem habitus indicat. Habetur iſtud in l. item apud labeonem. §. ſi quis in virg. ff. de iniurijs, cum multis concord. Dicere ſolebat ſapientiſſimus pater, ętate & ſi iuuenis, moribus tamen prouectus, quemlibet eſſe dominum triplicis domus: quarum vna interna, altera externa, vltima vero ſuperna: ſed ꝑ externa cõſtruēda deſtruitur interna: deſtituitur vt plurimum ſuperna. Irridebat eorũ inſulſam, fatuam, vanamq; ſētentiam, qui externam picturis, optimis ſculpturis, atq; elaboratis marmoribus, additis etiã auratis trabibus, ſtriatis columnis ita curioſe, ſtudioſe, & laborioſe ſumma cum impenſa excolunt, exornant, an

ant, ac omnino deſerant. O fatuam, inſanam cæcitatem, o leuem inſaniam, quã & exoſam, & deſpectiſſimam nobiliſſimus Robertus Cardinalis nobilior ſanguine, moribus inſtitutus, habebat: ſicq; ad cæleſtẽ (vt ſperamus) domum, terrena neglecta, deſerta que conuolauit lætus, hilaris, iocundus. Ex quibus vos amantiſſime pater, & dulciſſima mater, optimi fratres, veſtram voluntatem diuino iuſſui aptare ac cõmodare debetis. Quamobrem ite dulciſſimi fratres, pii, religioſi, date non lilia, non ambitioſos flores, roſas, violas, hyacinthos, verum ſpargite redolentes, fragrantes, optime ſpirantes, bonorum operũ, voti, ſuffragij, precum glorioſos fructus beneolentis ſanctitatis reſpirantes ſupra illuſtrẽ tumulũ, cadauer nobiliſſimum. Simul ſurgite vnanimes omnes, veneiãde ſenex pater, dulciſſima mater, fratres, amici omnes, cognati, agnati, affines, propinqui. Idem ſperate, exoptate omnes; vt qui bene viuus redolebat, & mortuus reſpirabit præ animæ redolenti fragrantia, puritate florum oſtendite, ſignificate, declarate bene olentem animæ ſuæ vitam in conſpectu Domini. Quo modo pariter & vitæ, & mortis vno & eodẽ actu locupletiores teſtes exiſtatis ſudate, laborate, anhelate. ſitis animo ſedulo indefeſſi circa illius illuſtrẽ tumulum cohoneſtandum: cuius ſpecioſum corpus tantum venerabantur omnes. Pater venerande vide os ex oſſibus tuis, carnem ex carne, ſanguinem ex ſanguine proprio, medullã inteſtini corporis tui, portionem viſcerum tuorum tecum hactenus fuiſſe: nunc puriſſimã animã cũ Domino muta

tọ

to domicilio cohabitare. Sic lætare vt pius, & religioſus pater: gaude sācto gaudio: te ipſum, tuaq; omnia diuino iuſſui, atq; voluntati vt fidelis parens a domino electus potiſsimum accōmoda. Vos cęteri filij nobiliſsimi, qui præſentes aſtatis, qui incorruptiſſimos mores Patris purpurati iamdudū nouiſtis optimi, nunc rogo, adhortor, moneo enixe admodum, vt indefeſſę ſint veſtræ linguæ, voces, calami, ſtudia, vota ſacrosācta in ipſo ꝓ meritis ex corde laudādo. Agatis hic nō murmurē tacito, nō muta voce, nō mortuo interprete, non ſignis, neque nutu: verū explicate gaudiū expreſſo e labijs lætitię argumēto. Idcirco gratus, & iocundus extitit immortali Deo, quia columbina ſimplicitate ſequebatur diuinum iuſſum, ſancta præcepta: viuus ſerpentina quoq; prudentia inſidias falſi hoſtis rugientis tanq̄ leo, & circumeuntis quęrēdo in antro, & ſpecu vaſta quē deuoret, euitabat iuxta illud: Eſtote prudētes ſicut ſerpētes &c. Obtulit Deo expurgati vituli holocauſtū: victimam innocentiæ ſuæ candidi, ac innocētiſs. animi ſacrificauit, ſanctificauit, ac immolauit ſuper altare diuinę iuſtitię vitulos incorruptos, inuiolatos, intactos, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo. Bonum itaq; certamē certauit: curſum breuis vitę conſumpſit: peregit fidem ſeruauit. Reliquum eſt Patres purpurati, optimi auditores ſpectatiſſimi, vt vos ſanctis orationibus continuis precibus ex debito officio diuinis etiā

antiquo more pro funebribus exequijs receptũ eſt, id velitis integre præſtare, reſurrecturo tandem aliquando cadaueri. Hæc omnia vt pertinẽt ad ſolatiũ viuentium; ſic nobiliſſimæ animæ, Illuſtriſſimo corpori pariter erit cõſultum: eodem tẽpore exequias adire, curare funus, parẽtalia pagere, funebria ſuſtinere, ſacra tura cadaueri in luctuoſo feretro expoſito pie, & ſancte dare, ſpargere nõ leui rore, nõ more pagano, ſed aquę ſalutaris ſanctiſſimo aſpergillo decet plurimũ: pietatis præcipua ſunt munera, & officia religionis plena. De cętero tandem luctum deponamus, animi dolorem exuamus, & excutiamus: remanentem gemitum abſtergamus: ſuſpiria cordis reprimamus: nos a gemitu, ab immoderato planctu, qui effœminatus eſſe ſolet, tẽperemus. Verũ recte cõfirmatis animis, diuinũ iuſſum excepiſſe prõpto animo fatebimur omnes, quod & pium, & religioſũ exiſtit. Alioquin (quod turpe eſt) potius pręſenti felicitati inuidere, q̃ humanę conditioni cõpati, imo vero diuinæ voluntati nõ acquieuiſſe iudicabimur.

DIXI. LAVS DEO SEMPER.

Maiorum obtenta licentia.